



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Origines Benedictinae, Siue Illvstrivm Coenobiorvm Ord.
S. Benedicti, Nigrorvm Monachorvm, Per Italiam,
Hispaniam, Galliam, Germaniam, Poloniam, Belgium,
Britanniam, aliasque Prouincias. Exordia Ac ...**

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1614

Burense monasterium, vulgò Beurn, prope Alpes, in dioecesi Frisingensi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11261

Infertum est autem hoc monasterium ceteris Bauaricis, quòd à Principibus Bauariæ sit institutum: Et quia olim vnà cum eiusdem monasterij aduocatia, castro ac dominio *VVildeneck* sub quo situm est, spectabat ad principes inferioris Bauariæ; quæ post bellum Bauaricum Cæsari Maximiliano I. cum multis alijs Dominijs nomine expēsarum factarum, ab Alberto Duce Bauariæ data sunt, incorporata Austriæ super Anassum, Archiepiscopis Salisburgensibus pluribus annis oppignorata, demum à Statibus prouincialibus super Anassum redempta, hodie Austriacos agnoscunt suos dominos. Sic Hundius in Metropli sua Salisburgensi,

Burense monasterium, vulgò Beurn, prope Alpes, in diœcesi Erisingensi.

Nobiles ac pij viri, *Landfridus, VValdramus, Elilandus*, fratres, Comites ab Antorf & Loyfa dicti, filij Theodeberti ducis tertij, ex familia primorum Ducum & Regum Bauariæ, anno 740. (quo tempore *S. Bonifacius*, Moguntinensis Archiepiscopus, in Francia Orientali, Frisia, Austrasia & Bauaria fidem Christi seminabat, & plura Monasteria vbique construebantur) octo Monasteria prope Alpes & Lycum ædificarunt & fundarunt, quinq; pro maribus, nempe *Beurn, Schlechdorf, Sinerstat, Sandau, VVessenprum*, tria pro virginibus, *Polliug,*
Staf-

740.

Staffelsee, *Cocklsee*, quibus præfecta est *Gelouinda*, soror fundatorum. Hæc omnia monasteria *S. Bonifacius* Archiepiscopus *Moguntinensis* dicitur consecrasse ijsque regulam *S. Benedicti* præscripsisse. Quæ quidem monasteria per *Vngaros* deuantantur, anno 973. *Cochelsee*, & *Staffelsee*, ad lacus eiusdem nominis; *Smerstat* verò & *Sandau*, haud longè à *Lycò* sita, ab *Vgris* excisa delataque, penitus interierunt: cetera verò restituta sunt. Hoc nostrum *Burense* monasterium reficitur per *Richolthum* Præsulem, sub *Ottone*, secundo Imperatore, & *S. Vlrico*, Episcopo *Augustano*.

Reiectis *Augustinianis* monachis, operâ *Adalberonis*, Comitis de *Sempra*, Aduocati huius monasterij, restituitur *Benedictinis*, per *Heinricum* tertium Imperatorem, qui eò *Helengeriorem*, Abbatem *Tigurinum*, cum duodecim monachis transtulit.

Henricus quartus *Abbatiam Burensem*, dictam in pago *Sondergeu*, in comitatu *Sigmari* Comitis sitam, *Eleuhardo*, Episcopo *Frisengensi*, & illius Ecclesiæ, tradidit; ita vt liberam potestatem habeat tenendi, construendi, & quidquid ad communem illius Ecclesiæ vtilitatem voluerit faciendi, anno 1065. sic ferè *Huadius*.

(:o:)

†